

LAUDES IN VERGILIUM.

Vergili, solis similis corusci,
Qui tot in terris rutilas alumnis,
Perge Musarum radios beatis
Fundere nobis.

Quidquid excudis catus atque versas
Carmen est plenum, magicum, sonorum:
Exit e versu sonipes quatitque
Ungula campum:

Irruat ventus pelagusque vela?
Audiam versum gemitum referre
Navis et raros simulare vasto
Gurgite nantes.

Nisus en demens comitem tuetur,
Ursus ut natos, inimica spernens:
Cernimus tanti pia corda vatis
Ingeniumque.

Si Venus nostros imitetur artus,
Voce mortales superet puellas,
Divo at incessu potius, magisque
Fronte serena.

Visus in somnis genitor sepultus
Astet Aeneae? Gelidus mihique
Fiat in venis cruor et meo vox
Haereat ore.

Bella cum narras strepitum dat ipsum
Carmen armorum sonitumque conchae;
Ultor auditur ruere in trementes
Fulminis instar.

Quam tuis, mentes, apibus sagaces
Quotque das curas animosque regni!
Mella servantur domino tibi que
Fama Perennis.

Consulis Nato recinis quod ante
Jehovae vates cecinere et ipsi:
Jam leo ponit furias rubetque
Sentibus uva.

Quo sed excellis reliquis poetis,
Et rapis duro lacrimas legenti,
Est amor Didus, furor atque funus
Turbinis instar.

Ignis hauritur cupidus medullis,
Vulnus in venis alitur veneno;
Saevit in sese fremebunda poscens
Punica bella.

Vergili, Romae veteris Magister,
Quot novi mundi socias alumnos,
Semper ardentis doceas amare
Carmina tanta.

JOS. SHEMBRI, SAC.

A SHROPSHIRE LAD.

XVIII.

Oh, when I was in love with you,
Then I was clean and brave,
And miles around the wonder grew
How well I did behave.

And now the fancy passes by,
And nothing will remain,
And miles around they'll say that I
Am quite myself again.

A. E. HOUSMAN.

ut me cepit amor tui, Neaera,
vixi tunc ego purus atque fortis,
et manabat inusitata fama
mores esse mihi graves bonosque.
iam marcescit amor tui, Neaera,
mox vestigia cuncta deperibunt;
et vox undique talis audietur;
'rursus sanus is est potensque mentis'.

H. H. HUXLEY.